CORONA ANIMORUM ELOQVENTIA

Olim

à CAROLO V. Sacri Romani Imperij CORONATO, In JOANNE Polono (inter Legati Officia) verè Tullio, approbata,

Nunc verò, ad Coronidem anni ſcholaſtici, exantlatos in Palladia arena Minervæ Stadiodromorum labores Coronantem,

Ab Illuſtri, Magnifica ac Prænobili JUVENTUTE Collegij ZODZISCENSIS Societatis JESU,

Metagymnaſtico Dramate,

Ad oculorum ſimul & animorum oblactamentum

PROPOSITA.

Anno ANIMORVM deſideria CORONANTIS Regis Regum 1716. *Die* 31. *Iulij, Eiuſdem CAROLI V. Heroi, D. LOIOLÆ Sacrâ.*

ARGUMENTUM.

AGnovit veram in JOANNE Polono, Sigiſmundi Primi Legato, CORONAM ANIMORUM ELOQVENTIAM Carolus V. Romanorum Imperator, ubi diſerto illum ore perorantem præmiatus, inter GRANDES retulit Hiſpaniæ. *Magiſter Sebaſtianus Penzinger in Comp:* 4. *Mundi Monarch: Diſc:* 4. *Conc:* 3. *Hiſt:* 4*ta pag:* 398.

PROLOGVS.

Genius JOANNIS è fluctibus ignorantiæ & ruditatis liberatus, à Sapientia ad ſuum invitatur Imperium, codiceq; cui titulus: CORONA ANIMORUM donatus, ad Solium honoris evehitur, in quo illud ſibi ingeminans: *Muſis amicam gaudet honor redimire frontem*, docet, quanti ſit à nobilibus Genijs æſtimanda, ſummos conferens honores Sapientia.

ACTUS PRIMUS.

SCENA 1*ma*. Ferdinandus Corteſius Caroli V. Imperatoris Heros, partâ de Potenchianis & Rege Metakumæ victoriâ (de quo P. Joan: Kwiatkiewicz in Ann: Eccl: ad Ann: 1519. num: 12.) ſpolijs onuſtus rediens, Carolo laurum, ſignum triumphi defert, illud Ciceronis adijciens: *cedant arma togæ, concedat laurea lingvæ*. Cui Cæſar in præmium primum honoris vacantem appromittit.

SCENA 2*da* Nunciatur Cæſari adventus Legati è Regno Poloniarum, & ſimul mors cujuſdam è Grandibus Hiſpaniæ. Cæſar ſuſcipiendo intentus hoſpiti, vacantem recenter honorem poſt fata proximè dicti Grandis, Corteſio conferre differt, expeditq; lectiſſimam Latij Nobilitatem ad JOANNEM legatum Poloniæ deducendum in Palatium.

SCENA 3*tia*. Suſceptus à Cæſare pro dignitate JOANNES, dum Legati functionem diſerto ore à prolixis Caroli laudibus inceptam, non viliori concludit facundiâ, Latini Senatûs Oraculo, Polonus Tullius proclamatur, Cæſar verò gemmâ non levis momenti, illud Ovidij inſculptum referente: *qui ſapit, innumeris laudibus aptus erit*, eundem, ut gemmam Oratorum, donat, inſuper eidem recenter vacantem Grandis Hiſpaniæ honorem conferre volens, nè hos ſibi promiſſos priùs titulos hic & nunc JOANNI impediat Corteſius, illi, prolato non ita pridem ad ſe ab ipſo Corteſio Ciceronis perſvadet ſtylo: *cedant arma togæ, concedat Laurea lingvæ*, diſſimulante Heroe.

SCENA 4*ta*. Corteſius partim ob mutatam in promiſſo ſibi primo vacante Cæſaris voluntatem, partim ob innatum literatorum odium perturbatus, cum Livorno in necem JOANNIS, utpote alienigenæ Patrios honores poſſeſſuri conſpirat.

SCENA 5*ta*. Livornus ex loco conſpirationis gradum movens, obviam habet mortem, à qua illud Euripidis ingeminari audiens: *mens una ſapiens plurium vincit manus*: conſternatur, nihilominus id de ſua doloſa interpretatus Sapientia, ſpondet ſibi ſuas fraudes de JOANNE, Cæſareis & Senatûs Latini ſtipato gratijs, victoriam daturas.

CHORUS

CHORVS.

Genius JOANNIS ad concessum sibi â Sapientia denuò pergens thronum, Cruces se retardantes subitò è terra prosilientes miratur, docetq; thronum Sapientiæ, non nisi per multas Cruces à Literatis possideri, juxta illud: *non jacet in molli veneranda scientia lecto, illa sed assiduo parta labore venit*: & illud: *multa tulit, fecitq, puer, sudavit & alsit. &c.*

INTERLVDIVM.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA 1ma. Bratillus pridem Livorno infensus, obvium eundem pugione transfigit, ipseq; se fugâ è loco cædis desperabundus subducit. Ita mors non pridem visa, fata Livorno, non JOANNI indicabat.

SCENA 2da. JOANNES pergens à Cæsare, incidit in cadaver Livorni proprio madentis tabo, cujus præpropera dum luget fata, à superveniente Cortesio, ut cædis perpetratæ author retrò ad aulam ducitur.

SCENA 3tia. Cortesius contra insimulatum criminis occisi Livorni JOANNEM, Cæsarem ad indignationem incitat, quare Cæsar sub honesta illum custodia haberi jubet, donec brevi sub eadem in Poloniam à suo judicandus Sigismundo, remittatur.

SCENA 4ta. Abscedens a conspectu Cæsaris JOANNES, diserto, modesto tamen ore breves ac inconstantes aularum deflet favores, cui improperat Cortesius, illudq; objicit: *non cedent arma togæ, nec cedet Laurea linguæ*, cuncta è suo Solio audiente Cæsare.

SCENA 5ta. Post abscessum JOANNIS, Carolus hinc eloquij JOANNIS suavitatem, inde offensam Sigismundi Primi, *Patris Principum* suo sæculo nuncupati, sibiq; pro suppetijs contra Gallos opportuni, & jura Gentium, ac pravum Cortesij erga JOANNEM affectum perpendens, JOANNEM per lectissimos aulicorum ad aulam reduci curat.

CHORVS.

Genius JOANNIS inter volumina quiescens, cælestium Geniorum cantu, & Diviniore supervolitante Columba expergefactus, docet, verâ Sapientiâ non homines solùm, sed etiam ipsos mire delectari Cælites.

INTERLVDIVM.

ACTUS TERTIUS.

SCENA 1ma. Dum solus JOANNES inter volumina Ovidij quærit lenimen doloris, incidit in illud Libri 2. Tristium: *nulla quidem sanè gravior, mentiq, potenti pæna est, quàm tanto displicuisse viro. Sed solet interdum fieri placabile Numen, nube solet pulsâ candidus ire dies*, Et ecce lectissima Latij Juventus cum debito honore JOANNEM ad Cæsarem invitans, liberumq; à custodia, ac omni metu declarans, lectum modò Ovidij verificat sensum.

SCENA 2da. JOANNES cum honore in aulam reductus, & susceptus, à Cæsare iterum sibi favente manumissionem in Patriam, & instrumentum absolutæ Legationis suæ, diserto expetit Eloquio.

SCENA 3tia. Bratillus criminis occisi Livorni conscius, & ex eo in amentiam actus, in Palatium irrumpit crimenq; fatetur, quare ille morti adjudicatur, Cortesius inimicus JOANNIS, ad exercitum in primo prælio hostili objiciendus furori expeditur, illo impleto: *cedant arma togæ*, dum Heros Cortesius pacifico Sapienti cedit JOANNI, JOANNES verò omnium adversitatum victor proclamatur, juxta illud: *mens una sapiens plurium vincit manus.*

SCENA 4ta Carolus memor illius dicti Arpinatis, quod in Republica Romana *Eloquentia* (quam summam toties in JOANNE est expertus) semper primas tenere debeat, JOANNEM inter *Grandes Hispaniæ* refert, mox cum hoc titulo in Poloniam ad Sigismundum relegandum.

SCENA 5ta. Senatus & Aula neo-Grandi applaudens, illa implet; *qui sapit innumeris laudibus dignus erit.* Cæsar in signum majoris benevolentiæ, honorisq; non pridem læsi restitutionem, laurum prius sibi a Cortesio oblatam, Ejusdem capiti imponit, veriùs hic illa enodando: *concedat Laurea Linguæ.*

INTERLVDIVM.

EPILOGVS.

Sapientia ex occasione Coronatæ in IOANNE Eloquentiæ, ANIMORUM CORONAM, desideriorum Coronidem, exantlatorum laborum præmium, Palladijs Agonothetis ad altiores Classes impertitur Promotionem.

Ad M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C. Honorem.

D. IGNATII Literarum Instauratoris Venerationem.